



## DISSERTATIO QUARTA:

Quâ disquiritur, quænam ratio Potentatus prohibuerit nuptias feminarum provincialium cum Præfectis militum, autore *Papiniano* in *L. 63. ff. de Ritu Nuptiarum.*

**Q**uanquam more Civitatis Romanæ quælibet nuptiæ favorabiles judicabantur, quæ liberorum querendorum animo votoque pio contrahebantur; nihilo minus pravum, absurdum, atque alienum à rationibus publicæ quietis duxit *Quiritium* Legislatores, permittere talia matrimonia quæ turbare *statum Civitatis*, & salutem ac securitatem Imperii pessum dare videbantur posse. Hujus exactissimæ cautionis curæque insigne specimen exhibet *Papinianus* *Libro primo Definitionum*; quando docet Feminas provinciales malâ ratione conjungi Præfectis militum, qui stipendia meruerint in provinciis Imperio Romano subjectis. Locus est perelegans in *l. 63. ff. De Ritu Nuptiarum.* ubi tradidit *Non esse matrimonium*, quando *Præfectus cohortis vel Equitum, aut Tribunus, contra Interdictum ejus provincie duxit uxorem, in quâ officium gerebat.* Redditque hanc juris constituti rationem; **CUM RATIO POTENTATUS NUPTIAS PROHIBUERIT. SUBJICIENS HÆC TANDEM VERBA SUB FINEM LEGIS. PECUNIAM TAMEN IN DOTE DATAM, MULIERIS HEREDI RESTITUI NECESSE EST.** Quænam vera sit ratio